



PROGRAMMA ET CARMINA
EPITAPHIA

IN OBITUM

HONESTISSIMÆ AC
PIÆ MATRONÆ Mariæ Schalleræ,
clarissimi atque doctissimi viri Dn.
JOHANNIS SAGITTARII, Philosophiæ ac
Medicinæ Doctoris, inq; illustri Soraborum Gymna-
sio Professoris publici, conjugis dilectissimæ,
piæ ac placidè defunctæ. Anno 1611.

Die 27. Aprilis.

Accesserunt insuper,

INDICIUM OBITUS DILE-
CTISSIMÆ MATRIS, NEC NON
Epitaphia in honorem utriusq; parentis,
& affinis Sororii, ejusdem D. Sa-
gittarii.

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dörfferi.
Anno M DC XI.



RECTOR ILLUSTRIS
GYMNASII GREGORIUS

Bersmanus bonarum artium &
disciplinarum Studiosis
S. D.

QUAEADMODUM AMOR, EX
quo amicitia est nominata,
major est nullus, nullius ami-
citiae conjunctio arctior eâ, quæ est in-
ter conjuges unanimos, adeò illos qui-
dem, secundum Apostoli dictum, de-
vinciens, ut neuter sui vel corporis, vel
animi, absq; participatione alterius so-
lus sit possessor atq; dominus: ita distra-
ctionis & avulsionis amborum, alteri-
usutrius obitu, vix dolor est ullus acer-
bior ac vehementior. Itaq; cum homo,
quod veteri versiculo non inscitè pro-
ditum est, toties moriatur, quoties a-
mittit suos: facile existimari potest,
quanto in dolore vel mœrore potius sit

vir clarissimus , collega noster D. Jo-
hannes Sagittarius, inflictō nunc rur-
sus, post matris suæ è vita discessum, pe-
ctori ipsius pio ac φιλοσόφῳ vulnere acer-
bissimo, hac præsentī duorum in car-
nem unam unitorum διχοθεμία, atq; avul-
sione costæ ipsius carissimæ, conjugis le-
ctissimæ MARIÆ: cuius funus signi-
ficatione hac publicâ indicendum no-
bis est. Quò gravior igitur hic illius do-
lor est ac luctus, tantò magis, quod i-
dem Apostolus vult, jubens χαίρειν μετὰ χαί-
ρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων, condolere nos
ipsi, ac lugere cum lugente par est: id
quod unumquemq; vestrum sine ad-
monitione nostrâ, cum propter com-
munem humanitatis affectum, (cuius,
ut Satyricus cecinit,

— imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terrâ clauditur in-
fans,

Et minor igne rogi.) tum etiam ex pa-
rentum hujus demortuæ recordatio-
ne, quorum memoriam apud universos
ac sin-

ac singulos, propter illorum erga eccle-
siam ac scholas merita immortalia, ho-
noricam ac sanctam esse æquum est,
facturum esse persuasum nobis habe-
mus. Quod enim plerisq; vestrum non
ignotum esse arbitramur, nata illa qui-
dem est patre viro clarissimo, D. Hie-
ronymo Schallero, Philosophiæ ac
Medicinæ Doctore celeberrimo, ac
Chremse, quod Austriacæ regionis est
oppidum (in quo ipsam anno salutis,
supra millesimum quingentesimum, se-
ptuagesimo nono in lucem editam fui-
se accepimus) Medico Physico ordina-
rio provinciali: matrem verò habuit
Martham, filiam clarissimi ac singula-
ris exempli viri, D. Casparis Peuceri,
cujus memoria est ἐν ἑλλογία: aviamq;
Magdalenam, sanctissimi, ac nunquam
satis laudatæ memoriæ viri, D. Philippi
Melanthonis, communis Germaniæ
præceptoris filiam, eandemq; conju-
gem, quem iterum honoris causâ no-
minamus, D. Peuceri longè dilectissi-

A 3

mam

mam. In cuius ædibus, disciplinæ sanctioris ac bonorum morum velut *Φροντιστήριον* sive *διδασκαλείον*, post obitum amborum parentum, piè sancteq; educata est, donec nuptui collocaretur. Vixit cum marito suo, collegâ nostro, atq; in illustri hoc Gymnasio, quod scitis, doctrinæ Physicæ, artisq; Medicinæ professore dignissimo, in conjugio s̄vavi & unanini, addo etiam fecundo, susceptâ nimirum subole sexus utriusq;, post celebratas cum ipso anno nonagesimo septimo nuptias, annos quatuordecim. Ac de prole quidem masculâ filiorum trium, femella verò duarum filiarum, postquam fati ipsa nunc concessit, filios reliquit duos, filiolum verò superstitem unicam, extincta placidè & beatè nudius quartus, horâ vespertinâ circiter octavâ. Decubuit autem morbo diuturno, à die usq; mensis Januarij proximè præteriti penultimo: cum laborasset primùm feбри hectica, quam

quam subsecutum fuit empyema, cum
excretionem de pulmonum ulcere puru-
lentâ ; cuius subitâ eruptione tandem
suffocata est ; postquam toto decubitus
sui tempore singularem Deo patienti-
am, ac fidem probâisset constantem, ad
extremum usq; vitæ halitum. Huic igitur
honestissimæ laudatissimæq; ma-
tronæ funus fiet hora pomeridiana II.
quâ exuviæ illius, ritu & consuetudine
Christianâ, ad locum sepulturæ ex ma-
riti mœstissimi ædibus efferentur. Ad
cujus exequias ac pompam funebrem
ut frequentes conveniât, quotquot ju-
risdictionem scholasticam agnoscunt,
suâq; illas frequentiam ac comitatu de-
centi ornent atq; cohonestent, horta-
mur & monemus universos & singulos.
P. P. Servestæ, A. D. pridie Calendas
Majas, Anno Salutis M. D. C XI.

AD

AD CLARISS. VIRUM, Dn. JOHANN.
SAGITTARIUM, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ
Professorem in illustri Serbestano Gy-
mnasio publicum, Collegam & amicum
S. Colendum.

V Irclare, agnomen fecit cui fama sagittæ,
Cordi inflicta tuo vulnera crebra gemis.
Luxisti graviter venerandi indigna parentis
Fata: obitum matris vix miseratus eras,
En cadit & thalami consors, de stirpe celebri
Edita Peuceri, prolis alumna tuæ.
Jam cum matre parens, dilecta exultat uterq;
Cumq; nuru in celo: vulnera acerba liga.

M. Caspar Ulricus.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO
JOHANNI SAGITTARIO, MEDICINÆ DO-
ctori & Professore publico in Illustri
Gymnasio Anhaltinorum Principum
Serbestano.

Ἐπιμνηστικὸν ad lugentem viduum.

*C*um rigida tollunt dilectam morte maritam,
Et vinculum rumpunt aspera fata tori,
Præfer-

*Præsertim tenerâ fuerat qui prole beatus,
Et decora à patribus gesserat alta suis:
Tam seua est, tantumq̃ affert scissura dolorem
Filia, facitq̃ bono vulnera tanta viro,
Vt nullis mœror cordis, quod sic laceratur,
Sat reddi metris, eloquio ve queat.
Et tamen aduersus fata hæc quoq̃, numinis aura
Divini in sacro codice monstrat opem.
Quam tu si arripies, Peuceri progener, acris
Mœstitiæ, Christo dante, levamen erit.
Expelli natura nequit: tamen est adhibendus
Lugendi, (laudem qui dat ubiq̃,) modus.*

Joannes Ursinus.



RECTOR ILLUSTRIS
GYMNASII GREGORIUS

Bersmanus bonarum artium &
disciplinarum Studiosis
S. D.

Divinus ille vir Moyses Psalm.
xc, quo, inter Davidicos ap-
primè memorabili, de miseriis
& ærumnis generis humani, tum mor-

B te

te ipsâ, præ omnibus, quos antiquitas
laudavit, philosophis, concionatur sa-
pientiùs, veriusq; , postquam causas in
eodem exposuit vitæ hominum fragili-
tatis ac brevitatis, tandem in hæc verba
divino quodam afflatu prorumpit: *Dies
annorum nostrorum sunt septuaginta an-
ni, & sic in fortitudinibus octoginta an-
ni: & eminentia eorum labor & dolor:
quia avellitur festinanter, & avolamus.*
Quibus verbis, quod ex illorum para-
phrasi sive metaphrasi, quæ auctorem
profitetur Bezam, luculentâ eruditif-
simaq; manifestum est, hoc nimirum
indicatur, quòd si humanæ vitæ spaci-
um vel longissimum ad calculum revo-
cetur, septuaginta plus minus, vel ad
summum in iis, in quibus Naturæ ro-
bur majus est, octoginta complebun-
tur anni; quorum tamen partem me-
liorem ac præstantiorem, vigorem puta
ætatis constantis, absumunt labor &
dolor: quo fit, ut subitò quasi rapti a-
vole-

volemus. Atq; horum nobis verbo-
rum meditationem injecit significatio
mortis repentinæ, cujus funus nunc in-
dicere propositum est, anûs honestif-
simæ, pientissimæq; CATHARINÆ,
matris clarissimi præstantissimiq; vi-
ri, collegæ nostri, D. JOANNIS SA-
GITTARIÏ, artis Medicinæ in hoc
illustri Gymnasio professoris. Illa enim,
exacto propè ætatis suæ anno septuage-
simo septimo, præstitutam illam à Moy-
se vitæ humanæ metam fermè attigit,
non absq; perpetuo, in illius quidem
curriculo, laboris & doloris comitatu.
Edita enim fuit, quod accepimus, in
lucem, anno orbis reparati M. D. XXXII.
die qui in fastis Ecclesiæ Andreæ Apo-
stoli nomine est insignitus, nata Fri-
bergæ, quod est Misniæ opidum an-
tiquissimum, venisq; æris & argenti
ditissimum. Patrem habuit virum re-
verendum, pietate, vitæq; sanctitate
& innocentia celebrem, ecclesiæ civita-

tis illius pastorem & antistitem, CAS-
PAREM ZEUNERUM, qui, illo in
territorio, misericordia & benignitate
DEI accensâ Evangelij luce, lustrandis
Ecclesijs primus præfectus fuit. Ma-
trem nacta est ex Bohemia feminam
honestam & primariam, sibi cognomi-
nem, quæ anno ætatis suæ LXXII. in vi-
vis esse desiit. His igitur illa procreata
parentibus, tum Naturæ suæ atq; in-
dolis, tum educationis atq; institutio-
nis domesticæ specimen edidit præcla-
rum, toto vitæ suæ tempore, maximè
verò in matrimonio, postquam nuptui
data est M. CHRISTIANO SA-
GITTARIO, illustrissimorum Saxo-
niæ Ducum, ac creandis Impp. Rr.
VII. virum, AUGUSTI & CHRISTIA-
NI I. concionatori aulico. In illo autem
matrimonio secundum Apostoli præ-
ceptum, & mariti se & liberorum, quos
ex illo suscepit XI. amantem & studio-
sam præbuit, hoc est, ut Apostoli ipsi-
us ver-

us verbis loquamur, *Φίλανδρον καὶ Φιλότεκνον*,
non modò educando illos liberaliter &
solicite, sed etiam, quia *ἐν δυσυχίαις λάμπει
τὸ καλόν*, quæ JOSIAE illius Germaniæ,
Christiani, inquam, Electoris obitum
consecutæ sunt, excercentes Ecclesiam
orthodoxam, & hujus pastores, atq;
inter hos etiam maritum ipsius, cala-
mitatum ac miseriarum sociam indi-
viduam se præstando. De quo plura hoc
loco commemoranda non sunt. Mor-
tuo autem illo, anno salutiferi partus
supra millesimum quingentesimum
nonagesimo secundo, annos, quibus
conforti suo superstes fuit, septende-
cim, vidua exegit, magnâ cum laude
probitatis, sanctitatis, & pietatis religio-
sæ, exemplo viduæ illius ANNAE vatis,
quam Evangelista Lucas præconio suo
celebravit, quòd annorum ipsa circiter
quatuor & octoginta ex templo nō ab-
scesserit, jejunijs precibusq; DEO no-
ctes diesq; serviens. Viduitatis suæ an-

nos exegit ac sustentavit apud filios,
præcipuè verò apud horum natu mini-
mum, quem diximus, collegam no-
strum, Doctorem JOHANNEM, qui-
cum in hoc oppido annos vixit decem,
vacans perpetuò precibus assiduis & sa-
cris cõcionibus, quas in extremâ quoq;
senectute frequentare non desit, quan-
tùm quidem per valetudinis imbecilli-
tatem ei integrum fuit: siquidem sene-
ctus ipsa morbus est. Hujus igitur san-
ctissimæ Matronæ, quæ nudius quartus,
horâ noctis undecimâ, *παύσει ἀποπληκτικῶ*
subitò correpta vitam hanc mortalem
& ærumnosam cum æternâ & beatâ
commutavit, corpus demortuum ad
locum sepulturæ, horâ à meridie primâ
ex ædibus filij non ignotis efferetur.
Hortamur autem universos & singu-
los jurisdictioni scholasticæ subjectos,
ut exequias has præsentia & frequentia
cohonestent suâ; daturi hoc humani-
tatis & pietatis officium, sicut decet ac
par

ac par est, cum demortuæ ipsi, cuius
memoria est εν Ὀφημίᾳ καὶ Ὀλογίᾳ, tum hac
συμπαθείᾳ suâ grati animi significationem
declaraturi Præceptori suo, collegæ
nostro mœstissimo. P P. Servestæ, A.
D. XX. Mens. Sextil. Juliani. Anno
M. D. C. I. X.



IN OBITUM VIRI REVE-
RENDI ET CLARISSIMI, DOMI-
NI CHRISTIANI SAGITTARII,
aulici quondam Dresdæ conciona-
toris, &c.


Hic recubo, nomen celi cui fecerat astrum
Anterius Capro, te, Nepa, posterius.
Culta miki inprimis pietas antiqua, fi-
desq;

Hinc mibi Christiani nomen & omen erat.

Fove-

*Foverat Augusti me gratia Saxonis : hujus,
Frritata dolo Flacicolùm, ira premit.
Meq̄, bis octonos (nil carcere mitius audis)
Annos, non patitur limine ferre pedem.
Præclara Augusti soboles, post fata, solutum,
Patris, Christjanus, quò lubet, ire jubet.
Christjanum postquam properato funere raptum
Parca tulit, functum me quoq̄, fata trahunt.
Sævit in exuvias lapidosa grandine vulgus,
Quæq̄, patet cunctis, vix mihi terra patet.
At me, cui Tellus tumulum invidiosa negabat,
Immensi capiunt mœnia magna poli.*

M. Johannes Theopoldus.


IN TUMVLUM VIRI REVE-
RENDI CHRISTIANI SAGIT-
TARII. VERITAS LOQVITUR.

Heu fleo : & ad tumulum frigente sub æthe-
re vanum,

Illa cana excubo VERITAS. (ille
Excubo, luctu excors ; postquam meus occidit
CHRISTIANUS SAGITTARIUS.

Nomi-

Nomine sic proprio dictus; sed re magis ipsa
Christianus Sagittarius.
Doctior ecquis enim jaculi constante volantis
Arte collineare ad scopum?
Ad scopum eum, quò dirigere usq; oculosq; ma-
numq;
Scita mandant supremi DEI. (tra
Promptior ecquis enim me unam defendere, con-
Hostium machinas ac dolos?
Hostium, Avernali quæ vix bene liberam hiatu,
Mille cæsam volebant modis.
Sed frustra: siquidem, telorum perpete jactu,
A me eos arcuit longiùs.
Arcuit heu! verùm jam vox mihi deficit, atq; os
Lacrumarum opplet auctior vis. (cente
jure tamen: nam quid deinceps loquar ipsa, ta-
CHRISTIANO SAGITTARIO?
Quin meritò morerer; nisi me spes illa foveret,
Adfore unum alterumq; ocyus,
Qui se defuncti jam præstet rite sagittis,
Christianum Sagittarium.

Christianus Rappoldus defuncti
Gener.

C

Fune-



Funeri

PIÆ ET HONESTÆ M A-
TRONÆ, CATHARINÆ, MATRI
CLARIS. VIRID. JOHANNIS SAGITTARII
Medicinæ Doctoris & Professoris Publici
in Illustri Gymnasio Serve-
stano.



*Uti datur in longos usû divinitus an-
nos*

*Vita, licet duris subdita sepe ma-
lis,*

Is meritò felix reputatur, quando supremum

In Christi claudit cognitione diem.

Talem cum sortita Dei sit munere finem

Fœmina, lugentes cui modò justa damus,

Fœmina præstanti felix pietate mariti,

Inq; Deum propria nobilis ipsa fide,

Mater

*Mater Doctōris, Medicam qui nunc docet ar-
tem*

*Hoc in Gymnasio, fidus & ipse DEO.
Hæc igitur matrona piè quia tradidit illi,
Qui dederat vitæ tempora longa, animam:
Nil dubitamus, eam celesti sede receptam,
Ducere coram agno gaudia læta, Dei.
Nosq; itidem placido dignetur ut arbiter ævi
Fine, superveniet mortis ubi hora nigræ:
Leniat & curas his, quos defuncta reliquit
Cognatos, gemitu supplice quisq; rogat.*

Joan. Urfinus.



C 2

In

In obitum.

HONESTÆ AC PIÆ FŒ-
MINÆ CATHARINÆ SCHUTZIN,
CONJUGIS DOMINI CHRISTIANI RAP-
poldi, &c. P. M. quæ obiit Servestæ Anno
1593. die 9. Februarij.

HEus tu, secura qui transis mente, viator,
Siste parum, &, precor, hæc paucula
verba lege.

Illa ego, quæ claro fueram prognata Parente,
Cui tua cognomen, Phœbe, sagitta dedit,
Illa ego, quæ castis merui Catharina vocari
Moribus, & sanctæ laude pudicitia.

Quam Charites finxere manum, quam grata
venustas

Nutriit, & Pietas ubera plena dedit.

Fata secuta mei, quæ conjux exulis exul

Dicier haud unquam, conjugis, erubui

Ah nimis ante diem caro prærepta marito,

Occubui, patrio nec requiesco solo.

Tres mea, & undenos bis ut ætas viderat annos,

Stamina succidunt invida fata mihi.

Nec

Nec queror hæc pro me: nece sed mihi acerbior
ipsâ est

Christjani mœror conjugis ille mei.
Verùm ne lacrumet solus mea funera conjux,
Hûc cadat ex oculis lacrumila una tuis,
Irrorata tuis ut nostra hæc tumba ab ocellis,
Cum violis teneras educet usq; rofas.

M. Johannes Theopoldus Scholæ Serve-
stanæ tunc temporis Prætor.



DIALOGISMUS EIU SDEM
RAPPOLDI CUM UXO-
RE DEFUNCTA.

Sic igitur, mea lux, sine me, tua fata su-
bibas,
Cui, sine te, furva lux quoq; sunt te-
nebræ?

Te, lux, te quoties meditor, nox ipsa venidet,
Atq; meos stringunt sidera clara oculos.
Outinam tecum, aut pro te me Parca tulisset,
Cogerer haud unquam vivere sic sine te.

C 3

Heu

Heu quàm me versat malè dulcis amaror amo-
ris,

Extra nam, sine te, me esse mihi videor.

Ergo ad te ut redeam, ut tu sis quoq; semper apud
me,

Stat, luctu vitæ abrumpere fila meæ.

Ipsa respondet.

Ne te, ne crucies nimium, mea vita, meum cor:

Namq; nec es sine me, ceu neq; sum sine te.

Corpora disjuncta properæ violentia mortis:

Pectora sunt nullo dissolventa modo.

Te ceu dilexi, dum fata Deusq; sinebant,

Ardeo Christianum sic cines facta meum.

Tempus erit, quo nos iterum jungemur aman-
tes,

Tuq; meos vultus, videro & ipsa tuos.

Interea effigies nostri Christianulus esto;

Et Catharinula sit dulcis imago mei.

Eodem Authore Anno. 1593.

mense Febr:

In

In obitum

VIRI REVERENDI ET LI-
TERATISSIMI, DN: CHRISTIANI
RAPPOLDI, ECCLESIAE, QUAE DIRMS TE-
nii in Electorali Palatinatu, colligitur, Pa-
storis quondam orthodoxi.

Defunctus ipse de se loquitur.

Qui natale solum DRESDA M, patriôsq; pe-
nates

Postposui VERBO, magne JEHOUA, tuo:
Deliciis mundi, ac generis splendore relicto,
Extorris docui dogmata pura DEI:
CHRISTJANI hac recubant RAPPOLDI
membra sub urna:

Mensivit rutili scandere tēpla poli. (tor ensis
Dux ubi CHRISTJANUS (gemini qui porti-
Quondam erat) & superæ celica castra do-
mus, (rentem:

AGNUM, quò vadit, sequimur, nostra ora ge-
Sed clara & rutila fulgida luce DEI. (Tempe,
Non equidem locus hic, qualem viridissima
Vel qualem Elysios fabula finxit agros:

Sed

*Sed lucem induti vehimur, nitidisq; coruscant
Ora, oculi, radiis, corpora tota micant.
Hic ego & expecto Theopoldum, & dulcia amico-
rum
Agmina, quos manet hic certa parata domus.*

M. Johann: Theopoldus, Ams-
dofi, Anno 1603.



QUERELA VIDUI

OB IMMATURUM COSTÆ
SUÆ DILECTISSIMÆ EX
VALLE HAC LACRYMARUM,
discessum.



Vò fugis? Ah Q u E M, dulce caput,
fugis? aspice quæso?
Curq; virum linqvis, cara Marita,
tuum?
Quò fugis? Anne audis Conjunx! mea vita, me-
um Cor.
Adsum, siq; placet, nunc comes ire paro.

Sui

Sic igitur moreris? Sic me moritura relinquis?

In quâ solamen, spes, decus omne fuit.

Quid poterat nostræ gravius contingere pro-
li,

Cui nunc præsidium, Mors rapit omne suum?
Solvitur in lacrymas, tristi fletuq; reclamationat,

Auxilio caræ parvola Matris egens:

Præsidiumq; sibi raptum D O M U S anxia plan-
git,

Tecta fremunt gemitu, vîta dolore meo.

O Mors dente minax, precibus si flecteris ullis,

Obsecro mî costam vivere, dura, finas.

O Mors dura fatis, quæ te dementia cæpit?

Dic age, quæ tantæ sit tibi causa necis.

Quòd rapis, ah! C O S T A M: Nunquam crude-
liùs actum est.

Quin liceatq; mihi clauderet fata simul.

Quid loquor? aut ubi sum? Mî præ tantoq; do-
lore

Pectore cor rapitur, lux oculis abijt!

Hoc queror! hoc doleo! nunc tantum juris ha-
bere

Vim fati in junctos fœdere ritè sacro.

D

Quid

Quid merui infelix, Cur Mors tot pectora cara
Eripit ex oculis, invidiosa mihi.

Cur Genitrix, obitu in sperato, finiit ævum,
Euboicæ vatis, vivere digna dies.

P E U C E R U S q₂ mihi abreptus, Pius, astra peti-
vit,

Immortale decus, ceu Pater ipse meus.

Nec jam hæc sufficiunt. Sed fluctus trudit ut un-
dam

Haud aliter sortem fors inimica fugat.

Ecce, ô me miserum? Conjunx spem præter in imo

Spargit corde faces, Mors violenta tua.

Quod viduo solamen erit? quid fiet Amori

Nostro, pars animæ delictumq₃ meæ?

Pignora nostra vides: Quod deinde levamen habe-
bunt.

Subsidio soboles matris egenæ suæ.

Quis me? Quisq₂ D O M U M poterit solarier ægram

Quoquo oculos verto, nil nisi sunt lacrymæ.

RESPON

RESPONSIO

DEFUNCTÆ UXORIS,
QUA CONSOLATUR MOE-
STISSIMUM MARITUM.



*One modum lacrymis : Quid fles ? nunc
abiice curas,*

*Ad superos quin tu pectus & ora leva.
Quis fructus multis in cessere fata quere-
lis?*

Stat sua, cuiq; dies, omnia mortis erunt.

Absolvi cursum (breve, sed reparabile tempus)

Quam dederat Christus vita peracta mihi est.

Cur orbam defles Sobolem? Non illa relicta est:

Tutorem Proles, naet a patremq; DEUM.

Omnis in hoc illi spes sit, qui sydera torquet

Præsto hic Pupillis, est, viduq; tibi.

*Cur Mortem incusas? Non hæc sine Numine Chri-
sti*

Approperare potest, stans sua cuiq; dies

Cujus ab arbitrio & jussu stant cuncta caduntq;

Qui cum vult recipit, quæ dedit ante viris.

D 2

Non

Non tota in cineres abij, nunc clausa sepulcro
Contegit ossa solum, Spiritus astra tenet.
Hic jam luce fruor clarã, vitãq; perenni,
Non morbus, non hinc Mors metuenda mihi.
Hic mihi parta quies; hinc est æterna voluptas,
Splendor perpetuus, gaudia, risus, amor.
Hic cum fratre, Soror, semper, natisq; Parentes,
Regi Cœlicolum, jubila voce canunt.
Hic justis æterno Patri præconia laudum
Solvunt, quæ verbis edere lingua nequit.
Quid moror? hinc Sanctis sunt gaudia tanta para-
ta
Quanta oculis nemo vidit in Orbe suis.
Desine nunc igitur lacrymis incessere fata,
Fortè reluctari ne videare DEO.
Sitq; modus lacrymis. Mors namq; nec ipse pepercit
Regibus: Ast cunctos jussit obire diem.
Teq; Domumq; tuam, dulces Natos, & Ami-
cos,
Vitam, Fortunas, quicquid & esse potest:
Nunc committe DEO, hic sit spes tua, vita, salusq;
Illius tandem conveniemus ope.

Sic

*Sic te precedo nunc, & sic debita solvo
Naturæ, eterno solvere jussa Deo:
Te quoq; fata manent, comitem te quæ mihi mit-
tent,
Cum vitæ rumpet stamina Morta tibi.*

Debitæ Observantiæ & Grati-
tudinis
ergò optimè de se merito Fauto-
ri, ac Patrono suo moestissi-
mo pos:

*Georgius Ulricus Geutnerus Am-
bergâ Archipalatinus.*

F I N I S.





EPITAPHIUM.

Cui PEVCERUS avus fuerat, proavusq; MELANTHON,

Cui SCHALLERUS erat non sine laude pater:

Quæq; SAGITTARI quondam dulcissima conjunx,

Hoc MARIÆ ossa jacent contumulata solo.

J. S. D.



EPITAPHIUM

CHRISTOPHORO SCHALLERUS, PONTIFICI
MAXIMO

CHI SCHALLERUS CATHOLICIS LAUDE
RE

CURA SACRATISSIMI QUONDAM
CORPORIS

HOC MARIÆ ADJACENT CONSTITUTUM

J. S. D.



Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017








Farbkarte #13

B.I.G.



MINA

IM
E AC
ALLERÆ,
viri Dn.
philosophiæ ac
rum Gymna-
tissima,
611.

DILE-
NON

rentis,
a-

eri.

102

